

Annotationes aliquot ad Taciti Germaniam.

Revolventi mihi ac retractanti ante hunc annum Germaniam Taciti, quam jure multi aureolum libellum nominarunt, visum est, quae J. Grimmus aliique, qui de literis rebusque Germanicis immortaliter meriti sunt, de iisdem, quas Tacitus affert, rebus disputassent, cum Taciti verbis comparare et ad singulos locos annotare. Ita enim fore putabam, ut et ipse eum libellum penitus cognoscerem et discipuli, quorum maximopere interesse debet, eum legere, ex hoc meo labore aliquem perciperent fructum. Opere utcunque confecto, quippe qui compluribus libris iisque ad hanc rem maxime necessariis carerem, quum mihi mandatum esset, ut aliquid latinis literis conscriberem, quo ad solemnia haec gymnasii nostri celebranda invitarem, non ab hac scholastica scriptione alienum esse existimabam, et quae collegissem et quae ipse ex meo addidissem, hoc loco publice proponere. Ita enim optime discipuli patriis quoque rebus ac domesticis imbui posse mihi videbantur atque ad eas percipiendas colendasque excitari, si, qui cognitione ac scientia nostrarum rerum antiquissimarum maxime excellerent, eorum scripta aliqua ex parte cognoscerent. Quare quae mihi praecipua ex iis, quae annotaveram, videbantur, ea huc transcripsi. Erunt fortasse, qui vituperent, quod locos ex Germanicarum literarum monumentis prolatos minus bene latine reddiderim; ii sciant, consilium fuisse meum, ut, quoad ejus fieri posset, totidem verbis eos locos interpretarer.

Cap. II. *Ipsos Germanos — patria sit.*

Tacitus plures affert causas, quare Germanos indigenas esse putet, quarum prima est, quod „nec terra olim, sed classibus advectos esse ait, qui mutare sedes quaerent.“ At enim Germanos non minus, quam ceteras gentes Europam incolentes ex Asia emigrasse, satis constat; sed quae ibi initio loca occupaverint, viri

docti inter se dissentiunt. W. Wackernagelius enim primum in iis locis, quae in septentriones spectant, sedes eos suas ac domicilia collocasse, deinde e Scandinavia, quam Jornandes officinam gentium et vaginam nationum nominat, in Germaniam immigrasse arbitratur; J. Grimmus contra, quippe qui Getas et Gothos unam et eandem esse gentem gravibus argumentis confirmare posse sibi videatur, in ea est sententia, ut Germanos primo statim adventu mediterranea Europae loca occupasse existimet. Tacitus igitur, qui ad id usque tempus nihil de majore quadam gentium migratione cognovisset, de Graecorum potissimum coloniis in alias terras deductis hoc loco cogitasse videtur. — Quasi praeteriens monebo, adversum Oceanum esse eundem, quem infra (cap. 17.) exteriorem nominat. Romanis enim vel ipsi Britanni penitus toto divisi orbe (Virg. Ec. 1, 66.), id est, longe a finibus orbis Romani remoti, quasi in altero quodam orbe habitare videbantur. Quare immensus ultra Oceanus est ille, qui ultra Romani orbis fines est positus, et, quod addit Tacitus, utque sic dixerim adversus, eo nihil aliud significare voluisse videtur, quam illum Oceanum esse e regione Romanis, e contraria parte terrae, ut, qui in eo navigent, adversa Romanis vestigia premant.

Alterum argumentum, quo Germanos in ipsa terra natos confirmet, Tacitus ex ipsorum carminibus repetit, quibus Tuisconem, deum terra editum, et filium Mannum originem gentis conditoresque ab iis celebrari refert. Ut igitur, Caesare auctore (b. g. 6, 18.) Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicarunt eaque re se esse indigenas significare voluerunt, ita Germani a Tuiscone suam se originem trahere sunt gloriati. At quomodo ea ex re effici possit, eos in ipsa terra, id est, Germania ortos ac natos esse, non satis video. Nonne enim, etiamsi ex aliis terris profecti in Germaniam immigrassent, Tuisco ejusque filius conditores gentis fuisse possunt? Sed ut hoc omittam, quid nomen Tuisconis significet, aut quis ille deus fuerit, diversae sunt doctorum virorum sententiae. Alii enim (Zeuss, die deutschen und die nachbarstämme, 72. Grimm. Gr. 2, 319. Myth. 319. 176.) hoc nomen Tiusco sive Tivisco rectius scribendum et a Tiu, qui fuit bellorum deus (Mars) et a Scandinaviis Tyr est nominatus, ducendum esse contendunt, ita ut, quum terminatio in — sco aut originem quandam aut cognationem, ut Graecorum *ἰδης, -ιδης*, denotet, Tiusco Martis, cui W. Müllerus (geschichte der altdeutschen religion. 223.) Terram deam conjugem addere vult, filius fuerit. Quod si forte minus placeat, auctore eodem J. Grimmio (Myth. 319.) hoc vocabulum a Tiv (sanskrit. *djaus*, graece *Ζεύς*), quod coelum significat, quae primaria ejus vis ex Anglosaxonico *tír* (gloria) et Germanico *ziari*, *ziari* (splendidus) cognoscitur, duci potest. Qua nominis enodatione probata, Tuisco Germanis fuerit necesse est

numen quoddam divinum ac coeleste, sive Wuotanus (Wodan) sive quis alius deorum. At W. Wackernagelius (Haupt's Zeitschrift. 6, 15 — 21.) aliam hujus nominis originem statuit, quae haud scio an verissima sit. Is enim Tuisconis nomen a Germanico *Zuis* (duplex) deducendum putat, ac significare animantem quendam duplicis, id est, utriusque et virilis et muliebris sexus. Quemadmodum enim, ut Scandinavorum fabulae ferunt, ex glacie, mitioris et calidioris aëris ex Muspelhemio afflatu liquefacta, Ymirus, immanis ille gigas, fuerit excitatus ac genitus, qui, utriusque sexus particeps, ex se homines et gigantes procreaverit, ita Tuisconem non patrem habuisse, sed ex sola esse terra procreatum; qui, quum sui similem haberet neminem, ex se ipso filium Mannum genuerit; hunc fuisse primum hominem, ejusque progeniem eodem, quo ipsum, fuisse appellatam nomine *Man*, sive *Manna*, aut, addita syllaba illa patronymica — *sco*, *mannisco*, id est, homines. Ita igitur, quae de Tuiscone ejusque filio memoriae prodita sint, non ad Germanicae gentis, sed ad totius humani generis originem spectare. A filiis demum Manni, qui primus fuerit homo, initium cepisse quum universam Germanorum gentem, tum singulas ejus partes, *Ingaevones*, *Herminones*, *Iscaevones* (*Istaevones*). Qui quum a filiorum Manni nominibus sint vocati, facile, quae eorum nomina fuerint, potest cognosci. Primus eorum fuit *Ingo*, cujus et memoria in Saxonice et Scandinavice fabulis diutissime mansit, et nomen in antiquissimis nominibus, quae dicuntur, propriis haeret: qualia sunt *Inguiomerus* (*Ingimarus*, *Hincmarus*), *Inguram*, *Ingiburc*, alia. Alter fuit *Isco* aut *Isto*, quum libri mss. inter *Iscaevones* et *Istaevones* variant. Tertius fuit *Hermino*, id est, *Irmin*, quod vocabulum nominibus et communibus et propriis saepius conjunctum invenitur, ut *irmansûl* (columna magna ac divina), *irmingot* (deus coelestis), *irmindeot* (gens magna), *Hermanricus* (gothice *airmanreiks*, germ. *Irmanrich*), *Hermanfrid* (germ. *Irmanfrit*), alia.

Praeter hos, quos nominavimus, alios fuisse heroas, quorum nomina *Marso*, *Gambaro*, *Suevo*, *Vandil* fuerint, ex iis, quae Tacitus addit, colligi potest. Hoc loco non est praetereundum, Plinium (hist. nat. 4, 14.) ab hac Germanorum divisione discedere. „Germanorum, inquit ille, genera quinque: *Vindili*, quorum pars *Burgundiones*, *Varini*, *Carini*, *Guttones*; alterum genus *Ingaevones*, quorum pars *Cimbri*, *Teutoni* ac *Chaucorum* gentes; proximi autem *Rheno* *Iscaevones*, quorum pars *Sicambri*; mediterranei *Hermiones*, quorum *Suevi*, *Hermunduri*, *Chatti*, *Cherusci*; quinta pars: *Peucini*, *Bastarnae* contermini *Dacis*.“ De hac re vide Grimm GDS. p. 629 sqq.

Ibid. Ceterum Germaniae vocabulum §.

Sunt, qui nomen Germaniae compositum esse putent ex vocibus *gêr* (hasta) et *mann* (homo, vir), idque significare hominem hasta instructum et armatum, ita ut comparari possit cum Graeco *ἀχαιρής*. Quae interpretatio quamvis primo aspectu arrideat, vera tamen esse non potest, propterea quod prius vocabulum antiquissimis temporibus non *gêr*, sed *gês* pronuntiabatur, id quod *Gêsalecus* apud Cassiodorum, *Gîselichos* apud Procopium, *Gêrlach* in tradit. *Wirzent.* satis ostendunt, (conf. Servius ad *Aen.* 8, 662. *gaesa* hastae — viros fortes Galli *gaesos* vocant, et *Caes. b. G.* 3, 4.), neque Germaniae nomen in ullo literarum Germanicarum monumento, aut ab ipsis Germanis aut ab Anglosaxonibus et Scandinaviis conscripto, invenitur. Qua ex re sequitur, ut Germaniae vocabulum non sit Germanicum. Quare *Leo* (*Haupt's Zeits.* 5, 514.) et *J. Grimmus* (*geschichte d. deut. spr.* 755. sq.) hanc vocem Gallicam sive Celticam esse volunt, eamque esse deducendam a nomine *gairm*, aut *gairmean* (clamor, vociferatio), *gairmmona* (clamatores), quod poetice virum fortem, bellatorem significet, (conf. vocem Belgicam *caermen* lamentari, vociferari.); quare ejus nominis vim ac potestatem eandem fere esse, quae in locutione Homericâ insit: *βονὴν ἀγαθός*. Haec significatio si vera est, non minus ad terrorem et metum incutiendum est apta, quam illa altera, quam vulgo esse receptam supra dixi, atque adeo ea ex causa praefenda videtur, quod *Tacitus* illud nomen primum *Tungros* accepisse refert, qui primi *Rhenum* transgressi *Gallos* vicissent. Qua ex re intelligitur, in *Gallia* id esse ortum et quodammodo esse posse interpretationem nominis *Tungrorum*. Hoc enim nomen a voce *Zunga* (lingua) ducendum videtur, ita ut *Tungar* (*Zungar*) clamosum, linguosum quendam significet. A victore, id est, a *Tungris*, qui *Gallos* expulerant. *Tungri* igitur id nomen, quod ipsi a *Gallis* acceperant, omnibus *Germaniae* populis indiderunt, ut *Gallis* metum injicerent; postea omnes *Germani* hoc nomine sunt usi. Sed liceat mihi aliam ab hac vulgo recepta interpretatione diversam in medium afferre, quae mihi quidem toti sententiae magis esse accommodata videtur. Quoniam enim *Taciti* verba satis demonstrant, iis, qui primi *Rhenum* transgressi *Gallos* expulerint, nomen *Germanorum* esse nuper ac recens additum, dubitari non potest, quin illud nomen a *Gallis* sit iis additum; quare vocati sint non interpretor: *genannt*, sed *benannt seien*, id quod verba invento nomine confirmare videntur. Quod si ita est, sequitur, ut a victore vocari nihil aliud esse possit, quam a nomine victoris vocari. Itaque quod *Galli* victoribus (*Tungris*) nomen dederunt propter metum, idem in totam gentem transtulerunt, eoque bellicam eorum virtutem significarunt. Si vero a victore ita intelligi debet, tum a se ipsis eadem ratione

recipi necesse est. Ego igitur hunc locum ita interpreto: quum Galli tantam in iis, a quibus erant finibus suis expulsi, belli virtutem esse cognovissent, cui se resistere non posse intelligerent, ex eorum virtute bellica omnes ejusdem gentis Germanos nominarunt, in quibus eandem atque in victoribus virtutem inesse judicarent; non multo vero post, quum ceterorum quoque Germanorum virtutem re essent experti, ex ea totam gentem Germanorum nomine vocarunt. Haec interpretatio confirmari posse videtur eo, quod Caesar (b. G. 6, 24.) refert, qui: Paullatim, inquit, assuefacti (Galli) superari multisque victi proeliis, ne se quidem ipsi cum illis (Germanis) virtute comparant. Ita haud scio, an optime vulgatam lectionem a victore tueri possis. Quare hic locus ita verti possit: allmählich sei der name einer völkerschaft, nicht des volkstammes so (dadurch) zur geltung gelangt, dass alle zuerst nach dem sieger aus furcht, bald auch nach ihnen selbst mit dem neuen namen Germanen benannt wurden. Sin vero haec interpretandi ratio viris doctis minus probetur, lectionem illam a victore ea sola ratione tueri possis, ut nomen Germanorum ex vocabulis ga (con) et irman (populus) esse compositum statuas. Hoc enim sumto, nomen illud Germanicum est idque (germanice gairmans) significaret, ut ita dixerim, populi socium (volksgenoss); cui rei Paulus Diaconus (1, 1) assentiri videtur, qui tantas populorum multitudines effecisse dicit, ut generali vocabulo Germania vocitaretur, nisi forte germinis vocabulum in mente habuit. Sed vereor, ne haec interpretandi ratio a vero aberret.

Cap. III. *Fuisse apud eos et Herculem ferunt.*

Tacitus (cap. 9.) Herculem in deorum numerum refert eique inter Mercurium et Martem secundum locum attribuit; idem (cap. 34.) Oceani, quo Frisii continentur, mentionem faciens addit: et superesse adhuc Herculis columnas, fama vulgavit, et (ann. 2, 12.) silvam Herculi sacram, inter Visurgim et Albim in Cheruscorum terra sitam, memorat; quin et Peutingeriana tabula castra Herculis haud procul a Noviomago collocat. Ex his sequi videtur, ut Hercules Germanis non heros, sed deus fuerit, neque Tacitus, qui (cap. 9.) eum in deorum numero habet, sibi satis constet, quippe qui eum hoc loco primum virorum fortium nominet. Ex omnibus autem, quae de hoc Hercule sunt disputata, illud proxime ad veritatem accedere videtur, fuisse Herculem eum deum, quem Germani nomine *donnar*, Scandinarii nomine *Thôrr* coluerunt. Illius fortia facta Germani, ituri in proelia, canebant; ille enim armatus malleo, quem Scandinarii *miölnir* (zermalmer) nominabant, ut Hercules clava, multas in exteris terras expeditiones suscepe-

rat et magnas res bello gesserat, gigantes et serpentes interfecerat, quare Taciti interpretatio Romana (cap. 43.) haud procul a vero abesse videri potest.

Ibid. Sunt quoque carmina — barditum vocant.

Barditum, non, ut alii volunt, baritum esse legendum, sententiarum nexus satis demonstrat; non enim carmina ipsa hoc nomine appellantur, sed eorum relatus (vortrag), quem Tacitus luculenter describit eo, quod adjungit, affectari praecipue asperitatem soni et fractum murmur, objectis ad os scutis. Qua ex re intelligitur, vocabulum hoc a voce bardhi, qua veteres Scandinavii ad scutum significandum utebantur, esse deducendum. Conferatur carmen Anglosaxonicum Elene v. 23 — 25. (Ettmüller. scôpas and hôceras p. 156.):

gâras lixton,

vridhene vâhlencan vordum and bordum

hônfon herecombol. i. e. jacula fulgebant, consociati (aut: conglobati)

ad stragem (sc. inferendam) fortes cum verbis et scutis sustulerunt vexillum. (Ita equidem verba vridhene vâhlencan interpretor neque J. Grimmio assentior, qui (El. p. 139.) illis tortas stragis catenas significari putat.) In illis, quae ita canebant Germani, carminibus magicam quandam inesse vim fortasse arbitrabantur; Odhinus (Wuotan) enim se, quum fidos amicos in pugnam sit ducturus, in scutum canere dicit, ut, clamore sublato, pugnam incant et incolumes ex pugna discedant (Simrock. Edda p. 93. 386.). Diu autem per totam fere mediam actatem apud Germanos moris erat, ut canentes in pugnam proficiscerentur. Conf. carmen illud de Ludovico: Ther cuning reit kuono, sang lioth frâno, joh alle saman sungun kyrie leison. — Qui baritum legunt, ii hoc vocabulum deduci volunt a veterum Frisorum barja, cui voci subesse putant significationem clamandi; sed jam satis constat, eam vocem non hanc habere vim, sed accusandi, manifestandi in ea inesse potestatem.

Ibid. Ceterum et Ulixem &.

Quid de Ulixem faciamus, nesciunt viri docti. Alii enim apud Germanos famam fuisse de Graecorum quadam in Germaniam immigratione (conf. quod Ottfridus de Francorum origine narrat: Las ih iu in alawar in einen buochon, ih weiz war, sie in sibbu joh in ahtu sin Alexandres slahtu.). J. Grimmus vero (Myth. 348.) Orendelum, qui in appendice libri illius Germanici, qui est de heroum vita et rebus gestis, primus omnium virorum fortium nominatur, hoc nomine significari posse arbitratur, ductus illa rerum et fatorum similitudine, quae inter Ulixem et Orendelum intercedit. (conf. könig Orendel. gedicht des 12. jahrh. übersetzt von Simrock.)

Cap. VI. *Hastas, vel ipsorum vocabulo frameas, gerunt.*

Nihil hoc vocabulum, quae est J. Grimmii sententia, cum nostro pfriem commune habet; framea est enim telum missile, jaculum (speer, wurfheil), qua Germani et cominus et eminus utebantur. (conf. carmen de Hildebrando: sperû werpan, et bretôn billiû). Framearum formam et usum, qualis postero tempore fuit, describit Agathias (ed. Bonn. 2, 5.). Nomen esse ducendum videtur ex praepositione fram (άρω), unde verbum framjan (perficere) et Scandinavorum framr (audax). Ex hoc vocabulo, mutato per formam deminutivam in frameca, inde in frameco, franco, populus Franconum nomen suum traxit, ut Saxones a sahs (gladius lapideus) sunt denominati. (Haupt. Zeit. 7,383. 470.). Hanc autem frameae in framecam, francam mutationem esse factam, optime confirmat Anglosaxonum franca (hasta, jaculum). Ita Caedmon (ed. Bouterwek p. 77.): francan vaeron hlûde, id est, lanceae clangorem ediderunt, et Beovulf 2420 (Ettmül. Scôp. and bôc. p. 111): gehvarf thâ in francna fâdhm feorh cûninges i. e. decessit tum in hastarum amplexu (lanzengewühl) anima regis.

Ibid. Definitur et numerus §.

Hunc locum ut recte intelligamus, monendum videtur, singulas civitates (gemeinden, gaue) divisas fuisse in plures pagos, quorum quisque centenos vel, qui numerus erat decas major apud multos Germanos, centenos vicenos possessores agrorum complectebatur (huntari, hundertschaft). Ita Tacitum civitates et pagos discernere, firmissimis argumentis demonstravit Waitz (deutsche verfassungsgeschichte p. 51.). Ex his pagis centeni conscribebantur; neque tamen ita conscripti iidem erant, qui ante aciem locabantur. Id enim si sumas, vide, ne Caesar (b. G. 1, 48.) repugnet, qui totidem, atque equites, numero fuisse pedites dicit, qui cum equitibus in proeliis versarentur. Quare dubium non esse videtur, quin hic locus de totius exercitus in partes descriptione sit intelligendus, ita ut Tacitus dicat: ut centeni ex singulis pagis conscribebantur, ita centeni partem totius exercitus efficiebant, cui parti erat ipsum nomen centenorum (huntari), atque hoc nomen, quod initio numerum significabat, jam in exercitu dividendo usurpari solebat et erat id nomen honorificum. Ita in partibus exercitus describendis Germani eadem, qua in terrae divisione, utebantur ratione. Huic qui praecerat parti, dicebatur centurio (goth. hundafaths). Non repugnat huic interpretationi, quod Caesar (b. G. 4, 1.) refert. Caesar enim saepe pagi nomine civitatem, quam Tacitus nominat, intelligit. Quod si longe maximam illam Suevorum gentem ex centum civitatibus, singulas vero civitates ex denis pagis constitisse sumimus, efficitur, ex Suevorum pagis centenos

quotannis conscribi solitos. Certe dubia est loci e Caesare prolata interpretatio; nam pro certo poni non potest, utrum ex singulis pagis singula milia, an ex omnibus pagis quotannis singula milia armatorum Suevi ex finibus eduxerint.

Cap. VII. *Reges — sumunt.*

Sunt, qui Germanorum reges fuisse negent (Luden. geschichte d. deutschen 1, 165.). Sed quum hic locus illi sententiae repugnat, tum alii ejusdem scriptoris loci (cap. 42. 43. ann. 13, 54. 11, 16. 12, 29.) et Cassius Dio (67, 5.) Cheruscorum regem Chariomerum (gladio insignis) nominat.

Reges ex nobilitate sumunt, id est, ex genere nobilissimo, id quod nomen Germanicum kōnig optime declarat. Hoc enim vocabulum est patronymicum, quod dicunt, et a voce Gothica kunni (γένος, genus) deducitur; quare cum significat, qui genere (sc. nobilissimo ac regnante) natus est; nisi forte hoc nomen a celtico cyn (princeps, dux) deducere mavis. In ducibus vero eligendis non generis, sed virtutis ratio habebatur. Nomen illi habebant zogo, herizogo, grafjo (comes), et praeerant singulis militum milibus. Per decades enim exercitus distribebatur; deni enim vel duodeni decuriam efficiebant, denae decuriae centuriam, cui praefectus erat dux, qui centurio (huntari) nominabatur, denae centuriae chilia-dem, cui praeerat dux (comes.).

Ibid. Effigiesque et signa — ferunt.

Non sunt illa Deorum simulacra, sed ferarum capita (imagines), quae in sacris silvis ex arboribus pendebant, ut videre licet hist. 4, 22: inde depromptae silvis lucisque ferarum imagines, ut cuique genti proelium inire mos est. Equis enim immolatis capita amputabantur, ejus rei auctor est Agathias, qui de Alamanis haec refert (ed. Bonn. 1, 7.): δένδρα τε γάρ τινα Ἰλασκονται — καὶ τούτοις, ὡσπερ ὄσια θρῶντες, ἵππους τε καὶ βόας καὶ ἄλλα ἅντα μνηρία κατατομοῦντες ἐπιθειάζουσι, eaque potissimum deo suspendebantur. Conf. ann. 1, 61: equorum artus, simul truncis arborum antefixa ora. Illae effigies Germanis erant pro signis militaribus; quare effigies et signa idem est, quod effigiata, ut ita dicam signa, quibus deum sibi praesentem adesse significari arbitrabantur.

Ibid. Ad matres — parent.

Artis medendi non solum sapientes, quae vocabantur, feminas (wîsiu wîp), sed omnes omnino feminas et antiquissimis temporibus et media aetate gnaras fuisse vulneribusque, quae viri iis curanda ferrent, mederi solitas, ex multis literarum

monumentis intelligitur. (conf. Walthar. 1405. Iw. 5609. Lanz. 2194. &.). Neque illae belli pericula refugiebant ac timebant, sed post terga suorum consistebant, ut ad fortiter pugnandum excitarent vel pulsus pudorem injicerent, (conf. Caes. b. G. 1, 51. hist. 4, 18.), earumque praesentia pugnantibus animum addebat. Eadem haec res per totam fere mediam aetatem permansit; ubi enim feminae inspectarent, equites (ritter) maxima fortitudine ac constantia pugnabant, ex earum aspectu aut memoria animos reficiebant. (conf. Erec. 9167. Gud. 644. 9229. Parz. 740, 7. 742, 27. & et Weinhold: die deutschen frauen in dem mittelalter. p. 63 sqq.)

Ibid. Inesse quin etiam — negligunt.

Jam Caesar (b. G. 1, 50.) apud Germanos eam consuetudinem esse ait, ut matres familiae eorum sortibus et vaticinationibus declarent, utrum proelium committi ex usu sit nec ne. Quod si cum Taciti verbis comparatur, satis apparet, quamvis in severa essent tutela et filiae et sorores atque uxores, eas tamen plurimum ad publicas res administrandas et regendas valuisse. Vaticinandi vero facultatem imprimis in feminis esse, Germanorum fuisse opinionem, ex eo intelligitur, quod praeter feminas vatum nomine laudatur nemo. De Valeda conf. hist. 4, 61, 65. 5, 22, 25. Illa aliae vates tempore fuerunt priores: Aurinia, et, cujus Cassius Dio (67, 5.) mentionem facit, Ganna (Γάννα παρθένος μετὰ τὴν Βελγῶσαν ἐν τῇ Κελτικῇ θείᾳ-ζουσα). Valedae nomen non proprium, sed commune videtur et a Scandinavorum vala, völvā (fatidica) derivatum. Aurinia corrigendum videtur in Albruna, quae vox a rūna (litera) deducitur; literarum enim usus, id quod infra videbimus, non solum sacerdotibus, sed etiam feminis illis fatidicis notus fuit. Harum fatidicarum nomen antiquissimum et commune fuit idisî, postea wîsiu wîp. Illis similitudo quaedam et cognatio intercedebat cum iis deabus, quae apud Scandinavios nomine nornir (parcae) insignebantur, quarum id erat munus, ut suam cuique homini aetatem constituerent (skapa mönnum aldr) et infanti recens nato fata sua decernerent ac praedicerent. Saem. Edda 149:

Nött var í boe, nornir qvamo,
thoer er ödhlingi aldr um skôpo:
thann bådho fylki froegstan verdha

ok Budlunga beztan thycka. i. e. Nox erat in arce, parcae venerunt, quae nobili aetatem decreverunt: tum petiverunt (dederunt), ut gentis suae fortissimus fieret et Budlingorum optimus videretur.

Idem fere munus Graecos Paris dedisse, testis est Hesiodus *Θεογ.* 218:

*Κλωθὸν τε Λάχεσιν τε καὶ Ἄτροπον, αἶτε βροτοῖσιν
γεινομένοισι διδοῦσιν ἔχειν ἀγαθὸν τε κακὸν τε.*

Conf. Hom. *Odyss.* 7, 197 et II. 20, 127.

Cap. IX. *Deorum maxime — habent.*

Mercurium eundem esse, quem Germani Wuotan, Woden, Scandinavii Odhin nominarunt, Paulus Diaconus testatur his verbis (1, 9.): Wodan sane, inquit, quem adjecta litera Gwodan dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur et ab universis Germaniae gentibus ut deus adoratur. Eum putabant Germani esse deum omnipotentem, sapientem, qui non solum mundum gubernaret et regeret, omnibus et hominibus et rebus formam et pulchritudinem daret, sed etiam bellum et victoriam administraret; eundem arti poeticae praesesse ab eoque agrorum ubertatem omniaque summa bona proficisci. (Gr. Myth. 121. sqq.). Nomen ejus est derivandum a verbo watan (imperf. wuot), quod non solum meare, transmeare, sed etiam cum impetu ferri significat; eadem est vis verbi Scandinavici vadha (imperf. ðdh); quare est is deus, qui omnia permeat (das allmächtige, alldurchdringende wesen.).

Ibid. Herculem — placant.

De Hercule supra diximus. Mars vero quin fuerit is deus, quem Germani Ziu, Scandinavii Tyr dixerunt, vix est, quod dubitemus. His quidem erat deus proeliorum (vígagudh), de quo Sn. Edda. 29: hann er diarfastr ok best hugadhr, ok hann raedhr miðc sigri í orostom i. e. is est audacissimus et maxime animosus et administrat victoriam in bellis; a Germanis vero in maximorum deorum numero habebatur. Conf. hist. 4, 64: communibus diis et praecipuo deorum Marti grates agimus, et ann. 13, 57: victores (Hermunduri) diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere. Jornandes (5.), Martem, inquit, Gothi semper asperrima placavere cultura. Hic deus in nobilissima illa abrenuntiatione Sahsnôt (gladii consors, ensifer) nominari videtur. Nomen hujus quoque dei servatum est in vocabulis Alamannicis ziestag, ziestig (dies Martis), ex quo nostrum dienstag est ortum, quod vocabulum non est scribendum dingstag, quasi a ding (judicium) sit deducendum. Ab iis populis, qui australem Germaniae partem incolebant, hic deus Eor vocatus esse videtur, unde, quod nos dienstag dicimus, Bavarii, Austriaci, alii Ertag, Irtag, Irtig & nominant. Eor autem idem putant esse, quod heru, cheru (ensis, gladius, unde nomen Cheruscorum),

a qua nominis vi non abhorret, quod Amianus Marcellinus (31, 2.) de Alanis refert, eos eductis mucronibus, quos pro numinibus colerent, jurasse, se permansuros in fide; idemque de Quadis (17, 12.): gladius barbarico ritu humi figitur, inquit, nudus, eumque ut Martem, regionum quas circumcircant praesulem, verecundius colunt. (Gr. Myth. 175. sq.).

Ibid. humanis hostiis litare.

Consuetudo hominum immolandorum apud omnes antiquitatis gentes valuit; gravem enim calamitatem averti, gravia et atrocia facinora, nisi humano sanguine, lui non posse arbitrabantur. Sed quum apud Gallos (Caes. b. G. 6, 16), tum apud Germanos hujus rei atrocitatem aliqua ex parte eo mitigatam reperimus, quod aut bello captos aut facinorosos homines immolare solebant. Concessis animalibus i. e. animalibus ad rem sacram accommodatis. Concessus enim hoc loco idem est ac sacer (hist. 5, 4: profana illic omnia, quae apud nos sacra; rursum concessa apud illos, quae nobis incesta). Ea autem animalia erant accommodata, quorum carne homines ipsi vesci solebant, ut equi, boves, apri, alia.

Ibid. Pars Suevorum et Isidi — religionem.

Tacitus non nomen Isidis peregrinum nominat, sed ejus sacrum, signum illud in modum liburnae figuratum, quod eum de navigio illo Isidis monebat. Stato enim tempore (III. non. Mart.) Romani et Gracci Isidis navigium celebrabant (Lactant. inst. 1, 27.) et sedatis hibernis tempestatibus et lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili jam pelago, rudem dedicantes carinam primitias commeatus libabant (Apul. met. l. 11. Ruhnk. p. 764 sq.). Si non idem, at simile certe sacrum Suevi et alii nonnulli Germanorum alicui deae fecisse videntur, cujus quasi oblitteratam memoriam remansisse existimat J. Grimmus (Myth. 237 sqq.), propterea quod pauper quidam rusticus narratur (Rudolfi chronicon abbatiae s. Trudonis l. XI.) in proxima (sc. villae Indae) silva navem composuisse (p. Chr. 1133.) et eam rotis suppositis vehibilem super terram effecisse. Ea ex Inda villa, injectis funibus textorum humeris, Aquisgranum (Aachen) est tracta, ibique recepta cum utriusque sexus grandi hominum processione; inde a textoribus Trajectum (Mastricht) est provecta. Ubi postquam est emendata ac malo veloque insignita, Tungris est inducta, de Tungris Los (Looz) aliaque in loca et oppida, magno hominum concursu et comitatu. Ubi subsistebat, clamor et cantus laetus ac chorea erat circum navem usque in multam noctem. Civitatibus ea adventare nunciabatur, quae ei obviam procedebant portisque apertis eam recipiebant. Quod

nomen Germanicum illi deae fuerit, Tacitus non tradidit, qui praeter Nerthum omnes, quos nominat, deos Romanis nominibus (interpretatione Romana) significat. J. Grimmus vero illi a Germanis nomen Huldæ (propitia) inditum esse arbitratur, de qua etiam nunc multae apud Germanos fabulae ferantur. (Myth. 244. sq.).

Ibid. Ceterum — vident.

Quamquam Germani deos in lucis ac nemoribus colebant, in quibus arae erant (ann. 1, 61: lucis propinquis barbarae arae) et ferarum imagines ex arborum truncis pendebant, negari tamen non potest, jam Taciti memoria eos templa exstructa habuisse, id quod videre licet ann. 1, 51, ubi hic ipse scriptor: Profana simul et sacra, inquit, et celeberrimum illis gentibus (Marsis) templum, quod Tanfanae vocabant, solo aequantur. Ex iis, quae infra (cap. 40.) de Nertho dea referuntur, potest cognosci, hujus quidem deae et templum et simulacrum quaecumque fuisse; aliter enim Tacitus dicere non potuisset: vehiculum et vestes et, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Procedente vero tempore multa templa et deorum simulacra Germanos habuisse, multis testimoniis confirmatur. (Gr. Myth. 94. sq.) Ceterum hujus loci sententia haec esse videtur: „lucos et nemora Germani diis consecrant eaque nominibus deorum, quibus ea consecrant, appellant; neque ea ut profana, sed ut sacra (sola reverentia) vident.“ Conf. quod Tacitus (hist. 2, 78.) de Carmelo narrat: „nec simulacrum deo aut templum, — ara tantum et reverentia“; et de orat. 12.: „nemora vero et luci et secretum ipsum“; quo ex loco sequitur, ut secretum Tacito non idem sit, quod arcanum, sed secessus, graece *τέμενος*. (Conf. Gr. Myth. 61.).

Cap. X. Sortium consuetudo — interpretatur.

Haec, quam Tacitus describit, sortium consuetudo apud omnes Germanorum populos valuit, et apud Scandinavios (Saem. 52a. hr isto teina i. e. concusserunt virgas) et apud Anglosaxones (Alfridus Bedae 5, 11. verba: mittunt sortes, vertit: hluton mit tãnum i. e. sortiti sunt virgis.). Surculis illis inscriptae erant notae quaedam, et ex eorum situ aut ex eo, quem in iis tollendis observabat, ordine futura augurabatur sacerdos aut pater familiae. Illae autem notae certam quandam significationem haberent necesse erat; nihil enim, nisi quod in se habeat certam quandam notionem, interpretari possis. Qua ex re sequitur, ut literarum quandam notionem antiqui Germani habuerint, quum et sacerdos civitatis et pater familiae et matres familiae (Caes. b. G. 1, 50.) ad vaticinandum iis uterentur. Illa literarum signa dicebantur rûnae (arcana), non quod multitudini essent ignota, sed quod

ad sacra facienda adhiberi et sacris suppellectilibus inscribi solebant, eaque inscribere sacrum quoddam munus interdum erat. Quia autem frugiferae arbori i. e. fago inscribebantur, inde ortum est Germanicum buoch, quod numero [singl. litera, pl. liber majoribus nostris erat, et buochstab. Conf. Saxo Gramm. III. p. 52: literas ligno insculptas secum portarunt. (Conf. Weinhold l. l. p. 55. 91.)

Cap. XI. Coeunt — credunt. conf Caesar b. G. 1, 50.

Cap. XI. *Nec dierum — videtur.*

Idem de Gallis Caesar (b. G. 6, 18.) refert. Omnes Germaniae stirpis nationes secundum noctes, non secundum dies numerabant. Heliand (31, 19.): was im the landes ward an fastun fiortig nahto, mano drohtin, so he thar mates ni antbet, i. e. erat terrae custos in jejuniis quadraginta noctes, hominum dominus, ita ut tum cibum non gustaret. (conf. ibid. 60, 21. 128, 13.). Caedmon (ed. Bouterwek p. 57.): fôr fâmig scip L and C nihta under roderum, sidhdhan nâgled bord, faer sêleste, flôd upâhóf i. e. vecta est spumosa navis centum et quinquaginta noctes sub coelo, ex quo clavatum tabulatum (navigium), vehiculum praestantissimum, fluctus levaverat. (conf. ibid. p. 58.). Inde Anglorum, qui nunc sunt, sennight, fortnight. Ejus rei causa videtur fuisse, quod Germanorum erat opinio, noctem die fuisse priorem eamque diei esse matrem (Simrock Edda p. 247.); quare majores nostri solemnia sua noctu celebrare aut in noctem extendere solebant (conf. ann. 1, 65. hist. 5, 15.). Simili causa iidem permoti videntur, ut annos per hiemes numerarent (Simrock Edda p. 243 sqq.). Heliand. (15, 19.): thô was siu widowa aftar thi u at them friduwiha fiwar endi ahtoda wintro i. e. tum erat vidua posthac in pacifico templo quatuor et octoginta hiemes. (conf. ibid. 15, 16. 5, 1 — 2.). Caedmon (v. 1363): Noe hâfde, sunu Lameches, syx hund vintra, thâ he mit bearnum bord gestâh. i. e. Noe habebat, filius Lamechi, sexcentas hiemes, quum cum filiis navem conscendit. (conf. ibid. v. 1121. 1125. 1142 &.). Beovulf (Ettmüll. scôp. p. 96): gebâd vintra vorn, aer he on veg hvurfe gamol of geardum i. e. exspectavit hiemum multitudinem, priusquam viam ingressus est senex ex habitaculo i. e. mortuus est. Ne quis autem poetas solos hac ratione in annis computandis esse usos putet, ex prosae orationis scriptoribus pauca exempla subjiciam. Ulfilas (Luc. 2, 42.) graeca: Καὶ ὅτε ἐγένετο εἰσὼν δώδεκα ita vertit: jah bithe varth tvalib vintruns. (conf. ibid. Luc. 8, 42. Math. 9, 20.). Chronicon Anglosaxonicum (Ettmüll. ibid. p. 37.): Alfrêd heöld thât rice — he thrittig vintra i. e. Alfridus obtinuit regnum circiter triginta hiemes. Similem rationem sequuti sunt Scandinavii, cujus rei unum exemplum mihi afferre liceat. Landnâmabök (Dietrich altn. Lb. p. 115): En er Ulfiotr var

sextuor at aldri, fór hann til Noregs ok var þar thria vetr. i. e. quum Ulfiotus esset sexaginta annos natus, in Norvegiam navigavit et ibi fuit tres hiemes.

Ibid. Considunt armati.

Conf cap. 12, ubi Tacitus: nihil autem, inquit, neque publicae neque privatae rei, nisi armati agunt. Eadem consuetudo per totam mediam aetatem obtinuit, quum ingenuus quisque arma ferret. (Gr. DRA. 287.)

Ibid. Silentium — imperatur.

Sacerdotes antiquissimis temporibus magnam in rebus publicis auctoritatem et potestatem habebant. Ut enim (cap. 7.) iis solis erat et vincire et verberare permissum, ita hoc loco Tacitus penes eos in conciliis coercendi (strafrecht) et silentii imperandi (bannrecht) jus fuisse tradit. Neque est dubium, quin simili quadam in silentio imperando formula usi sint, atque apud Graecos erat ἐψημεῖτε, apud Romanos favete linguis. Nam et apud Scandinavios in usu fuit at biðja hliodhs (silentium petere, ut audiatur), ut Völo spa. 1.: hliodhs biðh ek allar kyndir i. e. audientiam impero omnibus hominibus; et in Heliando ejus rei et verbi vestigia inveniuntur, ut 119, 18 — 19: lerda thea liudi liotun wordun, hludero stemnun, was hlust mikil, thagode thegan manag i. e. docebat homines lucidis verbis, clara voce, erat auditio magna, tacebant viri multi. (conf. ibid. 76, 11 — 12. 159, 21 — 22.).

Cap. XII. Licet apud concilium — intendere.

Tenendum est, Tacitum concilium civitatis (gau) intelligere; ad id concilium referebantur res omnes, quae in minoribus pagi (hundertschaft) conciliis, quibus princeps et centeni (vide infra) praeerant, dijudicari non possent, quamquam non est dubium, quin in pagi conciliis omnes res, quae ad pagum pertinebant, transigerentur et controversiae dirimerentur.

Ibid. Proditores — suspendunt.

Non prima quaeque arbor in silva eligebatur, ex qua suspenderentur, sed erant arbores quaedam fronde carentes (conf. Reuter's kriegsordnung p. 74. sq. an einen durren baum und an keinen grünen) certo quodam loco positae, aut iis deficientibus, trunci et pali in terram defixi. Huc quoque valet Saem. 27b:

Veit ek, at ek héck vindga meidhi á
noettur allar nio,

geiri undadhr oc gefinn Odhni i. e. scio, me pependisse ex
ventosa arbore noctes omnino novem, hasta transfixum et Odhino datum.

Ibid. Ignavos — mergunt.

De hujus generis supplicio illud apud Bonerium, fabularum scriptorem,
proverbium: (32, 27.)

man sprichet, wer von vorhten stirbet,
daz der im selber daz erwirbet,
daz man in sol in mel (kehricht) begraben. Et Fischart,

flohhatz 36.:

dann welcher stirbet gleich vor schrecken,
den sol man mit kukac bedecken.

Ibid. Sed et levioribus delictis — exsolvitur.

Quae hic Tacitus de mulcta dicit, ea cum veteribus Germanorum legibus consentiunt. Neque tamen ea mulcta est commutanda cum satisfactione (compositione homicidii), de qua infra cap. 21. Haec enim leviora delecta non sunt homicidia, sed pax violata, furtum, raptus hominis, vulnera, alia, quibus rebus certa quaedam mulcta pro delicti gravitate erat constituta, ut potissimum videre licet, si Anglo-saxonum leges revolvat (vide Etmüll. scöp. p. 54 sq.)

Ibid. Eliguntur in iisdem — reddunt.

Principes, qui in conciliis (gauversammlungen) eligebantur, erant magistratus, qui civitati (gau) praeerant; neque tamen illi iidem atque nobiles, neque ex nobilibus sumerentur necesse erat. Illi de minoribus rebus consultabant, majores pertractabant et ad concilium referebant (cap. 11.); illi in concilio primi loquebantur (cap. 11), et juvenes interdum scuto frameaque ornabant; illi sacris intererant (cap. 10); illi comitatum habebant (cap. 13.); illi denique judiciis per pagos, nimirum per eos, qui civitate continebantur, praeerant. Non autem ipsi, ut Tacitus refert, sed plebs aut judices ex ea delecti jus dicebant; neque facile dubitari potest, quin judices illi delecti fuerint iidem, quos Tacitus hoc loco centenos ex plebe comites nominat, qui fortasse erant centeni illi agrorum possessores, qui, ut supra diximus, pagum effliciebant. — Ab his judicibus, qui a libera civitate in concilio creabantur, diversi sunt comites illi (grafjo, gerefen, greven, gaugrafen), qui postero tempore jus dicebant et (sit venia verbo) heribanno praeerant. Hi enim non a libera civitate, sed a regibus vel principibus deligebantur, quorum nomine judicia exercerent, quorum

multi illam potestatem jure hereditario accipiebant posteris temporibus. De his et centenariis lex Aleman. 36: *conventus secundum consuetudinem antiquam fiat in omni centena coram Comite aut suo Misso aut coram Centenario.* — Ad conventus facilius agendos singulae regiones (gaue) in centenas, quae postea dicebantur, divisi esse videntur, in quibus Centeni (Centgrafen) judicia exercerent. Optime hoc intelligi potest, si respiciamus Anglosaxonum terrae divisionem. Apud eos enim deni fundi aut villae circumseptae (tân) vocabantur tûnscipe, dena autem tûnscipe efficiebant hundred (centuria), germ. huntari, cui judex praeerat.

Cap. XIII. *Tum in ipso concilio — honos.*

Hoc est illud ipsum, quod media aetate dicebatur swertleite, eamque rem multi ejus aetatis poetae stilo uberius explicarunt, ut Nibel. 27 — 42. Ceterum haec juvenum initiandorum ratio comparari potest cum Romanorum tirocinio (bürgerweihe), qui filios adolescentulos ad praetoris tribunal adducebant, ubi, praetexta deposita, puram sive virilem togam, locupletissimam civitatis Romanae testem, acciperent.

Ibid. Insignis nobilitas — aspici.

Hunc locum vexatissimum Orellius v. c., qui idem lectionem ceteris restituit, illustravit, dignationem activa significatione accipiendum esse docens. Sententia igitur haec est: sumuntur fere in comitatum robustiores (majores natu) et jam probati; sed nonnunquam princeps adolescentulos, quorum insignis est nobilitas aut quorum patres bene sunt meriti, dignos, quos in comitatum recipiat, judicat; tum illis robustioribus aggregantur, neque illis est rubori, inter comites aspici. Nihil aliud hunc locum significare posse, firmissimis argumentis, ex re ipsa petitis, docuit Roth (beneficialwesen p. 12 — 16). De comitatu hic addendum videtur, solis illis principibus comitatum quidem habere neque tamen suo arbitrio aliis civitatibus bellum inferre licuisse. Nam belli ac pacis potestas erat penes civitatem. Roth. *ibid.* p. 17—33.

Quum ventum — recessisse.

Eandem in regem ac dominum fuisse Germanorum fidem per totam mediam aetatem, carmina Germanica, quae sunt de Heliando, Nibelungis, aliaque luculentissime demonstrant. Egregia sunt in hanc sententiam Petri quidem in illo Heliando haec verba, spirant enim fortem illum et fidelem in dominum animum, qui in carminibus epicis mediae aetatis reperitur. (Hel. 143):

Tboh thi all thit helitho folc, quat hie,

gesuican, thina gesithos, thoh ik sinnon mid thi
at allon tharbon tholian williu;
ik bium garo sinnon, ef mi god latidh,
that ik an thinon fullestie fasto gistande.
Thoh sia thi an carceries clustron hardo
thesa liudi bilucan, thoh ist mi luttill tueho,
ne ik an them bendion mid thi bidan willie,
liggian mid thi so lieben. Ef sia thines libes thanu
thuru eggia nidh ahtian willian,
fro min the godo, ik gibu min ferah furi thik;
an wapno spil nis mi werth iowiht
te bimithanne, so lango so mi min warodh

hugi endi handcraft. i. e. Etiamsi te omnis haec virorum multitudi-
tudo, inquit ille, deserat, tui comites, ego tamen semper tecum in omnibus ne-
cessitatibus durare volo. Ego sum ita paratus semper, si Deus mihi concedat, ut
in tuo auxilio firmiter perstem. Etiamsi te in carceris claustris firmiter hi homines
includant, minime tamen dubito, in vinculis tecum manere, jacere tecum tam caro.
Si capitis te gladii violentia supplicio afficere velint, domine mi bone, ego dabo
vitam meam pro te; in armorum discrimine indignum mihi videtur aliquid evitare,
quam diu mihi durat animus et manuum firmitudo. Ex eodem illo animo fideli
profecta est imprecatio, qua in Beovulfo, praeclaro illo carmine, Viçlâfus usus est
in eos, qui dominum suum in summo periculo deseruerant. (Beov. v. 5763 sqq.):

Nu scal sincthego and sveordgifu
eall edhelvyn eóvrum cynne,
leofen álicgean; londrihtes môt
thaere mägburge monna aeghvyle
ídel hveorfan! siththan ádhelingas
feorran gefricgean fleám eóverne,
dômleásan daeldh. Deádh bidh sêlla

corla gehvylcum, thonne edvítlif. i. e. jam opum largitio et
ensium dona omnisque patriae laetitia generi vestro et victus cessabunt. A jure
communi erit hujus cognationis quilibet alienus! postquam homines nobiles posthac
compererint fugam vestram, ignominiosam secessionem (a domino vestro). Mors est
melior nobilium cuique, quam vita probrosa. Ceterum est manifestum, ex illo,
quem Tacitus describit, comitatu rem feudatoriam (feudalwesen) originem suam
traxisse. (conf. Caesar. b. G. 6, 15. 3, 22.).

Cap. XV. *Fortissimus quisque — quietem.*

Illa fuga agrorum culturae profecta esse videtur ex diuturna illa ac longinqua ex Asia in Europam immigratione. Fortissimus quisque, bellandi cupiditate ductus, nihil antiquius habebat, quam ut armis se exerceret et in proelia proficisceretur. Feminis contra domus et agrorum cura credebatur. Idem mos postea, quum jam domicilia ac sedes stabiles occupassent, aliqua ex parte valuit. Viri descendebant illi quidem ad aratrum et palam, feminis autem omnem et domus et villae curam delegabant. Quin apud Frisios, qui nunc sunt, feminis etiam agri colendi sunt, si viri aut navigatores sunt aut piscatores. Nec in interiore Germania uxores et filiae rusticorum ab opere in agris faciundo liberantur; neque tamen earum est, agrum arare et seminare, quod est virorum, quamquam ancillae media aetate agrum arare fuisse solitae videntur. Conf. MSH. 2, 159b.: diu kluoge, diu nâch dem pfluoge muoz sô dicke erkalten, schalten den wagen, sô er gestât. (conf. Weinhold. l. l. p. 309. sqq.)

Cap. XVI. *Colunt discreti — placuit.*

Eodem modo etiam nunc Westphaliae rustici habitare solent. Neque tamen omnes Germani ita habitabant antiquissimis temporibus, ut ex proximis verbis: vicos & et cap. 26. agri pro numero & apparet.

Ibid. Solent — quaerenda sunt.

Hujusmodi specus subterranei, quos Germani dung, tung a stercore superinfecto nominabant, inventi sunt non solum in Helvetia, sed etiam in Hassia et Thuringia. Non autem ad eas tantum res, quas Tacitus commemorat, Germani iis utebantur, sed, Plinio auctore (hist. nat. 19, 1), in iis etiam texere solebant. De hac re vide sis Haupt's zeits. 7, 128 sqq. et confer Pomp. Mel. 3, 1, et Xenoph. Anab. 4, 5, 24 — 27.

Cap. XVIII. *Num prope soli — ambiuntur.*

Non apud omnes moris fuisse, singulas uxores habere, satis notum est. Ariovistus duas habuit uxores, ex quibus unam in Gallia duxerat (Caes. b. G. 1, 53); Sueones (Schweden) Adam. Brem. refert, in omnibus rebus, excepto uxorum numero, modum adhibere, pro suis quemque facultatibus aut binas aut trinas aut plures etiam ducere uxores, ditiores vero ac principes, quot quisque velit, eaque justa esse matrimonia, quod liberi sint legitimi. Omnino septentrionalium Germanorum mos fuit, ut plures singuli uxores haberent. Quae igitur Tacitus hic refert,

de iis Germaniae nationibus valent, quae ad occasum spectabant, quarum accuratior-
rem quam septentrionalium notitiam haberet necesse erat. (conf. Weinh. l. l.
p. 284 sqq.)

Ibid. Plurimis nuptiis ambiuntur.

Una hujus loci interpretandi ratio ea esse videtur, ut ambire quidem nativa
sua vi ac potestate accipiatur pro circumdare, quam in hoc verbo inesse quum
aliorum scriptorum, tum Taciti ipsius loci (hist. 5, 12. ann. 2, 19) demonstrant;
nuptiae vero pro uxoribus habeantur, ita ut sententia sit: sie umgeben sich mit
mehreren gemahlinnen.

Ibid. Dotem — offert.

Quod hic Tacitus memoriae prodidit, id ex observatione haud satis diligenti
profectum videtur. Ex antiquo enim jure puella erat in tutela (mundium) patris
aut, eo mortuo, alicujus propinqui, sive fratris maximo natu, sive patru, quare
nihil ipsi per se facere ei licebat. Ex ea autem tutela a sponso puella redimebatur,
et emtionis pretium (germanice: miet, mietscaz) non illi, sed ejus tutori solvebatur,
quo soluto, ex illius tutela in mariti tutelam et gentem excedebat. Conf. Heliand
9, 12: the im êr magad habda — gibôht im ti brâdi i. e. qui antea virginem emerat
sibi in uxorem. Etmüller Scôpas. p. 282: cynning sceal mid ceápe cvêne gebycgan,
bunum and beagum i. e. rex debet pretio uxorem (reginam) emere, carchesiis et
armillis. Ibid p. 284: Ides sceal dyrncrafté faemne hire freónd gesêcan, — thät
hî man beágum gebycge. i. e. virgo debet magica arte, femina, sibi amicum
quaerere, ut ipsam vir armillis emat. conf. Gr. DRA. 423. Weinh. l. l. p. 209. sqq.)

Ibid. atque invicem — affert.

Jam antiquissimis temporibus ea erat consuetudo, ut filiae non indotatae neque
inornatae domo dimitterentur, quae dos non in fundis et agris, sed in rebus, quae
moveri poterant, consistebat, ut auro, argento, maximam vero partem vestibus.
Conf. Saem. 218a. 230b. 241a. Ea dos, quae germanice heimstiur, hîstiur
dicebatur, non in mariti possessionem cedebat, sed antiquissimis quidem temporibus
uxoris propria manebat, nisi forte aliter esset constitutum. Quare illa arma, quae,
Tacito auctore, uxor invicem viro afferchat, non dos fuisse videntur, sed donum
quoddam, quod cum donis a sponso oblati comparari posset. (conf. Weinh. l. l. 213).

Ibid. Hoc juncti boves — denuntiant.

Quamvis pulchra et elegans sit haec sententia, tamen illorum munerum natura satis demonstrare videtur, ea fuisse munera a viro propinquis uxoris oblata, quibus sponsam, ut supra dixi, redimeret. Ceterum et Taciti memoria et media aetate mos erat, ut sponsalia in concione (mahal, unde nostrum vermählen) fierent. Vide Nibel. 568 — 570. 1621 — 1623. Iw. 2389 sqq. Trist. 1627.

Cap. IXX. *Literarum secreta* esse epistolas amatorie scriptas, nexus verborum et sententiarum satis docet. Nihil enim aliud hoc loco dicere potuit Tacitus, nisi Germanos nescivisse, literis ad amores clam et occulto significandos uti.

Ibid. Numerum liberorum — habetur.

Hoc non omni ex parte verum videtur, nam ut apud alias antiquitatis gentes, ita apud Germanos mos erat, liberos exponere, sed ille mos non omnium Germanorum fuisse videtur. Causa autem eorum exponendorum erat annonae caritas et fames, quae raro apud eos Germanos, qui proximi Rhenum colebant, orta esse videtur, saepius apud septemtrionales Germaniae populos, apud quos illa consuetudo liberorum exponendorum diutius obtinuit. Illud quidem certum est, vetere jure Germanico patri licuisse, si necessitate cogeretur, in servitutem dare liberos. (Gr. DRA. 455. — 460. Weinh. l. l. 75 sq.)

Ibid. Sororum filiis — teneant.

Notum est ex literarum monumentis, apud Scandinavios avunculis potissimum filios in disciplinam tradi solitos; eademque illa consuetudo aliqua ex parte apud interiores Germanos media aetate valuit, nam suum quisque filium eques (ritter) alteri instituendum tradebat. Ab hac re non multum abhorret ea ratio, quae apud Graecos imprimis temporibus heroicis, et apud Romanos valuit, quorum illi quidem filios alicui insigni heroi instituendos tradebant, hi vero, postquam filii virilem togam sumserant, ad praestantem aliquem virum eos deducebant, cujus quotidiana consuetudine jus civile cognoscerent.

Cap. XXI. *Luitur — domus.*

Haec satisfactio erat illa compositio homicidii, quae apud omnes Germanos legibus erat sancita, cujus erat nomen werigelt (scand. mangiald, anglosax. manbôt, leódgeld) a vocabulo wer (homo). Erat enim institutum, ut, si quis quem interfecisset, pretio, quo ejus vita censebatur, solvendo redimere se posset;

vita autem cujusque pro vario statu, ordine, conditione certo quodam pretio aestimabatur. Hrôdhgârus quidem, (Ettmüll. scôp. p. 107.) Danorum rex, quum Grendilus aliquem ex Beovulfi comitatu dilacerasset, quamquam ipse eum non interfecerat, tamen pro dilacerato aurum solvit: thonne aenne hêht (Hrôdhgâr) goldê forgildan, thonne Grendel aer mânê acvealde. i. e. unum jussit (Hrôdhgârus) auro compensare, quem Grendilus per scelus necaverat. Vide Grimm. DRA. 272. 289. 602. 650 sq. Ettmüller Scôpas 58 sq. Dietrich altn. LB. p. 66. 88.

Ibid. Quemcunque mortalitum — discernit.

Cum his, quae Tacitus memoriae tradidit, comparetur Caes. b. G. 6, 23. Quam hic Romani Germanorum hospitalitatem praedicant, eandem multis saeculis post apud omnes Germanicae stirpis nationes valuisse et carmina et historiae docent. Usu erat receptum, ut pater familiae, si quem hospitem appropinquantem videret, ei cum uxore obviam iret eumque allocutus benigno vultu exciperet, (Erec. 3616 — 3631. 8172.) eique omnes vitae commoditates suppeditaret (Caed. v. 3423 — 27. Parz. 54, 9. Iw. 312 — 389. Parz. 33, 11. 176, 18.). Neque hujus rei majus ac praeclarus afferri potest documentum, quam quod reperimus in carmine illo epico, quod Nibelungorum nomine notum est. Hujus carminis strophas 1586 — 1645 quum legeris, imaginem hospitalitatis, qualis fuit apud majores nostros, cogitatione fingere poteris. Tanta omnium erat hospitalitas et humanitas, ut quemcunque mortalium, sive dives erat sive pauper, domo exciperent, quoniam hospitii jus aequum et sanctum esset. (Lex Burgund. 381. Cap. Karoli 802. 803.). Quin adeo, si compertum esset, ab recepto hospite recipientis fratrem esse interfectum, tamen ejus, qui receperat, erat, illum alterum ab omni injuria defendere. Vide Saem. 83b.

Inn biththu hann gânga í occarn sal

oc drecka in maera miöd,

thô er hitt ôumc at her uti sê

minn brôdhurbani. i. e. cum ora, ut intret in nostrum atrium

et bibat praeclarum mulsum, etiamsi metuo, ne hic foris sit mei fratris percussor. Contra recepti hospitis erat, hospitalitate non abuti neque justo diutius in una domo manere. Apud Scandinavios enim non amplius triduum manere fas erat: enn that var eingi sidr, at sitja lengr enn thriar noetr at kynni i. e. neque erat mos, amplius tres noctes (dies) in hospitio sedere (manere.). Quare Havamâl 34. (Dietrich Lb. p. 17.):

Gânga skal, skala gestr vera

ey í cinom stadh;

liufr verdhr leidhr, ef lengi sitr
annars fletiom â, i. e. abire debet, non debet hospes esse semper
in uno loco (domo); carus fit molestus, si diu sedet alterius in domo. Item Anglo-
saxonum erat proverbium, prima nocte pro ignoto (uncûdh), secunda pro hospite
(gest), tertia pro familiari (âgen) esse habendum peregrinum. (Weinh. 391 sqq.)

Ibid. Abeunti — facilitas.

Haud admodum dissimilem fuisse heroicae aetatis consuetudinem, apud Ho-
merum et Virgilium reperimus. Solebant enim et qui veniebant ad aliquem hospitem,
adventu suo ei dona quaedam afferre, et ii, qui a se hospites dimittebant, alii
quibusdam eos remunerari. Sic Menelaus (Odys. 4, 589 sqq.) Telemachum alloquens,
Καὶ τότε, inquit, σ' εὖ πεμψω &. Et, Telemacho illa dona sibi inutilia fore dicente,
alii eum prosequitur. Sic (ibid. 13, 1 — 124.) Phaeaces abeuntem Ulyssem et
deducunt splendide et pulcherrimis muneribus donant. Apud Virgilium (Aen. 1,
650 sqq.) autem Aeneas ad Didonem veniens, quum arcessi Ascanium jussisset,
Munera praeterea, Iliacis erepta ruinis, ferre jubet &. Et (ibid. 3, 464 sqq.)
Helenus, quum dissessurum Aeneam multa monuisset, dona dehinc auro gravia
sectoque elephanto imperat ad naves ferri &. Et (ibid. 7, 243 sqq.)
Ilioneus, ad regem Latinum ab Aenea missus orator, *Dat tibi praeterea, inquit,*
fortunaeparva prioris munera &. Nec minus regia sunt munera, quibus
Latinus Aeneam remuneratur. (ibid. v. 276 sqq.). Ceterum non solum apud eas,
quas dixi, antiquas gentes hospitalitas illa et liberalitas valuit, verum etiam apud
Hebraeos hospites domo recipere cum iisque victum communicare moris fuisse, de-
monstrant. 1 Mos. 18, 3 — 5; 24, 33; et Job 31, 32.

Cap. XXII. Statim e somno lavantur.

Tacitus hic non de corporis ablutione, sed de lavatione, quae in balneis fit,
loqui videtur. Notum enim est, antiquos Germanos, et viros et feminas admodum
delectari fuisse solitos lavationibus (conf. Caes. b. G. 6, 21.), eamque consuetudinem
media quoque aetate fuisse magnamque curam in lavandis corporibus posuisse ea
aetate homines, demonstrant quum multi alii scriptorum loci, tum tertius liber
Scifridi Helbling. (Haupt. zeits. 4, 83 — 91).

Ibid. Diem noctemque — transiguntur.

Eam quoque consuetudinem quasi hereditate acceptam omnes deinceps Germani
maxima fide sunt secuti, et quamquam posteris temporibus nobilissimi quique imi-

tandis et recipiendis exterarum gentium moribus inter se certarunt, illam tamen consuetudinem veterem retinuerunt. Neque rixas, quas Tacitus dicit, neque vulnera caedesque ad nostram usque aetatem deesse, cauponae satis superque demonstravere hodieque demonstrant.

Cap. XXV. *Ceteris servis — paret.*

Haec si comparaverimus cum iis, quae cap. 20. referuntur, servorum conditionem apud Germanos non gravem et inhumanam fuisse reperiemus. Neque enim dominus, cui, quum erat puer, cum servis omnia fuerant communia (cap. 20), in eos crudelis esse poterat. Horum, quos hic Tacitus nominat servorum conditio etsi non multum distabat a conditione litorum, lazzorum, qui nominabantur, tamen hoc inter eos intererat, ut illi quidem libertate non uterentur, hi vero non multum a libertis distarent. Erant enim liti infra ingenuos, sed suo jure utebantur et partem civitatis efficiebant; sed quum non essent eodem jure et honore, atque ingenui, ex agris suis vectigalia pensitare debebant.

Cap. XXVI. *Agri pro numero — superest ager.*

i. e. plures familiae inter se conjunctae locum novis sedibus optabant agrumque occupabant, cujus pro sua quisque dignitate partem accipiebant. Quod Tacitus addit: arva per annos mutant &., dicere videtur, in conserendis arvis, non partiendis, quotannis mutationem esse factam, ita ut, quae arva superiori anno essent consita, proximo vacarent. Non enim est verisimile, cultores inter se agros mutasse. Nam quod Caesar (b. G. 4, 1.) de Suevis refert, ad unos Suevos, non ad omnes Germanos pertinet.

Cap. XXVI. *auctumni — ignorantur.*

Hunc locum J. Grimmus (gesch. d. deut. spr. p. 74.) ita interpretatur, ut Taciti memoria Germanos agros tantum, non hortos coluisse dicat; deinde, postquam poma et vinum colere didicissent, quae aliquanto posterius, quam frumenta maturescunt, eos nomine auctumni (germ. herpist) ad hoc anni tempus significandum adhibuisse. Quod si verum est, sequitur, ut nomine agrestium pomorum (cap. 23.) cujusque generis baccae sint intelligendae, ut mora, fraga, alia.

Cap. XXVII.

De funeribus antiquorum Germanorum vide Beovulf (Ettmüll. scôp. p. 129. sq.). Strues enim excitata et non modo loriceis, galeis scutisque, sed etiam annulis aureis

aprique signo ornata, quum mortuus in eam esset impositus, incendebatur. Qua combusta, tumulus exstruebatur isque eo altior, ut videtur, quo clarior ac nobilior erat mortuus. Eum autem tumulum vallo, ut videtur, lapideo circumdabant. Postremo amici tumulum circumequitabant, laudes mortui praedicantes. Locupletibus et ditibus gladius et equi adjiciebantur. Eigla enim: var thar i lagdr hestr hanns ok vâpn hanns i. e. in eo (tumulo) collocatus est equus ejus et arma ejus; et Hrôlfs Kraka: var haugr orpinn ôftir Hrôlf konung ok lagt hiá honum sverdit i. e. tumulus superinjectus est Hrolfo regi adjectusque ei gladius. — Ea consuetudo mortuorum concremandorum, quae apud omnes Germanos, quoad a Christi doctrina erant alieni, valuisse videtur, recepta Christiana religione est sublata. Vide. Karol. Mag. capitula. (cap. 7.): Si quis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum flamma consumi fecerit et ossa ejus ad cinerem redegerit, capite punietur. Et (cap. 22): Jubemus ut corpora Christianorum Saxonum ad coemiteria ecclesiae deferantur et non ad tumulos paganorum.

Quum ea, quae ad res, quae sequuntur, illustrandas pertinere videntur, propter spatii concessi exiguitatem huc afferre mihi non liceat, pauca quaedam, quae cum superioribus rebus cognationem quandam habent, hic adjungam. Ac primum quidem Nerthus, Terra mater (cap. 40.) satis digna mihi videtur, cujus mentionem faciam. Nomen hujus deae indicat quidem, eam marinam fuisse deam; ductum enim hoc putant a Sanscritico vocabulo nîra (aqua, mare), quod Persae nere (unde nehrungen maris Baltici), Graeci *νηρός, νηρείς* pronuntiabant; nihilo minus ut Terra mater colebatur; nam ex eorum deorum genere erat, qui Vanorum (splendorum) nomine insigniebantur, quorum potestas et efficacia et mare et terram amplectebatur. Illos omnes Germani, qui mare accolebant, venerabantur (Haupt. Zeit. 6, 460. 7, 440.) ex iisque Nerthus erat dea, quae omnia in se contineret et complecteretur et omnia hominibus commoda afferret. Deligenter autem et severe rem familiarem administrari volebat, quare stato tempore, sub brumam (zwischen weihnachten und b. dreikönigstag) aut curru aut cum aratro terram perlustrabat omniaque, quae ad agriculturam et colum pertinebant, accuratissime perspiciebat. Quae opinio usque ad nostram aetatem valuit. (vide: norddeutsche sagen von Kuhn und Schwarz. 1848.). Varia autem ei erant et etiamnunc sunt nomina apud Germanos: frau Gode, frau Frick, frau Herke, frau Holle, frau Berchta (Gr. Myth. 230 sqq.). Pompa illa sollemnis, quam Tacitus describit, et lavatio magnam habent similitudinem cum iis, quae Lucretius (2, 597 — 641.) de pompa magnae deum matris, et

Ovidius (fast. 4, 337 sqq.) Prudentiusque (hym. 10, 154.) de lavatione matris deum referunt. Huic Nertho erat frater, quem eodem nomine appellabant, qui apud Ingaevones quidem reperiri non potest, apud Scandinavios vero Niördhr nominabatur. Qui quum inter se matrimonio essent juncti, liberos procrearunt, quibus illi quidem Freyr et Freya, nostri vero Frô et Frouwa i. e. dominus et domina (unde nostrum: frau) nomina dederunt. Ii fulgentes erant dii, quippe qui Vanorum genere essent nati, et ab oriente ut sidera assurgerent in coelum, faciebant. In eorum potestate erat sol et pluvia, iique appropinquantes et terrae et hominibus munera et commoda afferebant; erant benigni et pulchri dii et amori conjugioque praeerant. In iis erat sapientia et fortitudo, quare Frô pugnis et proeliis praeerat (folkvaldi), et Frouwa in pugnam equo vehebatur; uterque autem in pugnam proficiscens in galea apri signum gestare solebat. (Weinhold. die deutschen frauen in dem mittelalter. p. 30.). Quare haec Frouwa ea dea fuisse videtur, quam Tacitus (cap. 45.) matrem deum appellat. Nam ex Eddae carminibus novimus, aprum (gullinbursti i. e. aper aureis setis) deae Freyae sacrum fuisse; aprorum autem formas a viris fortibus, in pugnam proficiscentibus, galeae aptas, gestari fuisse solitas, non solum ea, quae dixi, carmina, sed etiam Anglosaxonum literarum monumenta satis docent. Id galeae insigne Scandinaviû hildisvîn, hildigöltr (aper pugnae), Anglosaxones autem eforlíc (apri signum), eforheáfodsegn (apri capitis signum) vocabant. Vid. Sn. Ed. p. 152: î theirri orustu féll Ali konúgr oc mikil luti lidhs hans. Thá tõe Adils konúgr af honum daudhum hiálminn Hildisvîn, i. e. in pugna cecidit Ali rex et magna pars populi ejus. tum abstulit Adils rex ab eo mortuo galeam hildisvîn. Et Beovulf v. 604 (Ettmüll. scôp. p. 97.):

eforlíc scionon
ofer hleór heran, gehroden golde,
fáh and fyrheard ferhvearde heóld. i. e. apri signum videbantur
super genam portare, ornatum auro, quod varium igneque duratum vitam tuebatur.
Ibid. v. 2056. (Ettm. ibid. 107.):

Ymb thäs helmes hróf heáfodbeorge
virum bevunden vala utan heóld,
thät him felalâfa frécne ne meahton
scúrhearde scedhdhan. i. e. circum galeae cacumen capitis custo-
diam metalli filis affixus aper extrinsecus tenebat, ut ei enses asperi non possent,
in pugnis duri, nocere. Conf. Elene (Ettm. ibid. p. 158.): eforecumbelê betheahht

i. e. apri signo tectus. Quibus ex locis apparet, sacrum illud signum fuisse et quod in pugna tueretur et hostes perterreret. Plura vide Gr. Myth. 195. sqq. Ceterum Nerthus et Niördhr, quorum memoria et nomen sensim sunt oblitterata, in liberis suis Frô et Frouwa, qui diis illis Vanis quasi superstites sunt, renati esse videntur, cujus rei plura in fabulis inveniuntur exempla. Conf. Weinhold l. l. p. 30.



Corrigenda.

Pag. 4. lege moneo; pag. 7. Scandinavii; pag. 17. delicta; pag. 26. diligenter.